





ΔΕΝΔΡΑ
ΦΘΙΝΟΠΩΡΙΝΑ

ex Epist. Iud. v. 12.

STRICTIM EXPLICAT

ET

FINITO EXAMINE

AVCTVMNALI

ANNI MDCCL.

CVM

RATIONEM LABORVM

SEMESTRIVM

TVM

ALIQVOT ORATIONES PVBLICE

HABENDAS INDICAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XXXI.

Illam vergentis anni partem, quae aestatem sequitur, suas delicias habere, nemo, opinor, inficias ibit. Hanc enim ob causam, si FESTVM audimus, a) *Auctumnus* nominatur, quod eo tempore hominum opes mirifice augentur, frugibus agrorum et hortorum coactis. Qua mente idem OVIDIO audit *formosissimus annus*, b) ab HORATIO depingitur *purpureo variis colore*, c) VIRGILIO dicitur *varios ponere fetus*, d) à STATIO autem *diues* cognominatur. e) Et quis est, qui non intelligat, huiusmodi descriptiones in praesentem imprimis annum optime convenire, dignum omnino, propter cuius beneficia effusissima Deum immortalem his laudibus, vate verba praeunte, veneremur; f)

O! quam Tu variis locupletas dotibus annum!

Quas datus e plenis nubibus humor alit.

Quam Tua desillant pingues vestigia succor!

Et toties pedibus semita trita Tuis!

Quemadmodum enim nuper ex agris tam diues frugum copia collecta fuit, ut largae messis munera vix horrea caperent; ita nunc in decerpendis et conuehendis hortorum ac vinearum fructibus colonos maxima cum assiduitate occupari, videmus. O! quanta amoenitas ex eorum varietate oculos nostros ferit! O! quanta suauitate illorum odor olfactum nostrum titillat! O! quantae deliciae palatum nostrum adficiunt! ubi nempe

Purpuri pingunt candentia mala rubores,

Et pira, quae multo lacte Falerna fluunt.

Haec multum gaudet maturis palma volentis,

Illorum et tentat muscus ora sapor.

Pruna Damascenae quondam, nunc obuia, terrae,

Carpere cum prasinis cerea mista, iuuat.

Iam cerasi teretes saturantur sanguine fetus,

Aerugo pingit mespila, sorba crocus; etc. etc. g)

Quum igitur tanta sit Auctumni dignitas, tantaque praestantia, ut Graecis *ὄρωρα* adpelletur, quo videlicet *ὄρος ὠρεα*, h e. hominum adspetus maxime delectatur; mirum videri poterat, quod IVDAS, apostolus diuinitus excitatus, falsos suae aetatis doctores *δεδωκε φθνορωρεα* nomet, h) et cum *arbori-*

a) de Verb. signif. ad h. d.

b) Art. Am. II. 315.

c) L. II. Od. V. 11.

d) Georg. II. 521.

e) Silv. V. 1 50.

f) Eoban Hess. ad Psalm. LXV. 12.

g) Alex. Donat. L. III. Eleg. I.

h) Epist. Iud. v. 12.

arboribus autumnalibus, quemadmodum Interpres Vulgatus explicauit, comparet. Et negari quidem non potest, vocabulum *Φθινοπωρον*, vi compositionis, aliquando ipsum Autumnum significare, ideo sic dictum, quod ea tempestate et fructus et folia ex arboribus decidunt. Quo sensu *Φθινοπωρον* id omne poterit cognominari, quod ad Autumnum spectat, iam senescentem, et in hiemem sensim vergentem, quum, ut SENECA Tragicus canit, i)

*canae frigora brumae
nudant silvas, atque arbutis
redcunt umbrae, viresque suas
temperat annus:*

et quam vicissitudinem alius poeta, Musa haud inuita, his versibus concinne depinxit; k)

*- Hyperboreis arbor caput ic̄ta flagellis,
Quae primo cum vere nitens, atque ubere felix
Pomifero coepit teneros educere fetus,
Soliciti spes agricolae, ruit inuida caelo
Ira Noti, aut hiemis violentior ingruit horror,
Mox virides decussa comas vernunq̄ue decorem,
Reliquias seruat ramorum et inutile germen,
Floricomam donec pubem nouus educat annus.*

Hanc autem significationem ad Iudae verba adcommo- dari non posse, ex eo adparet, quod *δενδρεα Φθινοπωρον*, ab illo commemorata, arbores infrugi- ferae, bis mortuae, et eradicandae adpellantur. Alii igitur aliam huius dicti- onis explicandae rationem inierunt. Et Interpres quidem SYRVS conuer- tit in *arbores, quarum fructus defecit*; ARABS translulit: *arbores autumnales, fructuum expertes*; AETHIOPS explicat per *arbores aridas, et fru- ctum nullum habentes*; ERASMVS ROTEROD. interpretatur: *arbores au- tumno marcescentes*; ERASM. SCHMIDIVS autem per *arbores emarcidas* exponit. l)

Quam multis autem difficultatibus hae interpretationes premuntur; tam plana atque expedita ea explicatio videtur, quae hoc nomine exhibet arbo- res, aut vitio naturali laborantes, aut procellis, frigore, ficitate, erucis, et aliis

i) in Hippolyt. Act. III.
ad h. l.

k) F. Pulcharellus L. I. Carm. 4.

l) in Notr.

aliis iniuriis ita infestatas, ut *fructus suos ante deliciant, quam maturuerunt.* Constat enim, *ὄπωρον* non solum Auctumnum, seu tempus decerpendorum fructuum notare, sed etiam, per metonymiam, ipsos fructus significare, auctumnali tempore colligendos: id quod non tantum ex sacris litteris, m) sed etiam ex profanis auctoribus, Athenaeo, Plutarcho, et aliis potest probari, quem ad modum MARTIALIS etiam Latinam *Auctumni* dictionem hoc sensu usurpauit. n) Neque alius à PINDARO ventus *Φθινοπωρίς* appellatur, o) quam is, qui maximo frugibus est detrimento. Itaque à Iuda ii doctores cum *δεδροίς Φθινοπωρίσ* comparantur, qui quidem nomen prae se ferunt, multosque et diligentiae et pietatis et obsequii fructus promittunt, re ac facto autem nihil praestant, eam ob causam digni, ut, eodem apostolo iudice, euellantur atque exstirpentur.

Quae macula cum omnis loci ac ordinis magistros infamat, tum eos in primis turpissima ignominia deformat, quibus provincia scholastica est demandata. Quamobrem fideles ac religiosi praeceptores eo promptius laborum suorum rationem reddunt, quo alacrius sui muneris partes exsequuntur. Et quoniam leges scholae nostrae bene ac sapienter praecipunt, ut eo tempore, quo publica studiorum Instratio instituitur, index lectionum Patronis nostris exhibeatur; nos, obsequii gloria excitati, hac tabula rationem laborum semestrium exponimus, Auctumnum imitati, de quo poeta canit; p)

*Aufert arboribus frondes Auctumnus, et idem
Fert secum fructus: nos faciamus idem.*

M. IO. GOTTLIEB BIDERMANN, Rect.

PUBLICIS in praelectionibus ex *Compendio Hutteri Theologico* capita de Coena Domini, de Sacrificiis, de Cruce et consolatione, de Inuocatione, de Votis monasticis, de Magistratu, de Coniugio, de Morte, de Fine saeculi, de Resurrectione Mortuorum, et de Extremo Iudicio explicauit. In *Historia Ecclesiastica*, duce Rechenbergio, Saeculum XIV. et XV. illustrauit, et in primis cum necessitatem tum admirabilitatem repurgatorum a Megalandro sacrorum ostendit. *Hebraici sermonis* praecepta ex Grammatica Starckiana tradidit, suoque momento omnia librauit, adiectis passim obseruationibus, quas interest haud nesciri. *Graecae linguae* exercitium hinc ex PLVTAR-

CHI

m) Apocal. XVIII, 44.

n) L. III. Epigr. LVIII. 7.

o) Pyth. E.

p) *Owen*, L. III. Ep. 27.

CHI libro de educatione puerorum, hinc ex Hesiodi Carmine, quod Theogoniam complectitur, est persequutus. Et in illo quidem Capp. V. VII. VIII. IX. et X. in hoc autem pensum a versu DLX. usque ad DCCCL. absoluit. Ex *Ouidii* Libris *Metamorphoseon* Libr. II. et III. explanauit. In arte dicendi vero ad ductum *Omeiffi* capita de argumentis et adfectibus exposuit. Praeterea ad stilum cum prorsae tum vorsaes orationis formandum singulis hebdomadibus exercitia propofuit atque emendauit.

PRIVATIM Hebraico ex codice pensa, quae singulis Veneris diebus pro rostris sacris explicantur, excussit. Prouectioribus autem accentuum artificium, quod recte inter subsidia Hermeneutices sanctioris refertur, imperitum. Selectas Ciceronis Orationes, pro Archia, Marcello, Ligario, Deiotaro et Lege Manilia pertractauit. Horatianarum Satyrarum Libr. I. et II. interpretatus est. Ephemerides Latino sermone consignatas, quae per septimanas Lipsiae prodeunt, praelegit, et in Geographia regna Lusitaniae, Hispaniae et Galliae perlustrauit. Singulis etiam Mercurii diebus Chriam utroque sermone elaboratam atque ex cathedra perorandam audiuit. Tandem singula pensa ex auctoribus Latinis et Graecis singulis imitationibus illustrauit, ligata et soluta oratione elaborandis.

M. IO. ANDR. LVTHERVS, Conrect.

ab examine vernali anni MDCCL. usque ad examen autumnale eiusdem anni absoluit

PVBlice in *Grammat. Graeca* doctrinam de mutatione vocalium, de accentibus, spiritibus, articulo, nomine et verbo; in *Nou. Test.* Euangel. Ioh. cap. III. IV. V. VI. VII. VIII. in *Mathematicis* Astronomiam et Gnomonicam: in *Logicis* capita de Definitione, Diuisione, Demonstratione, et Interpretatione; in *Cornelio Nepote* vitas Pelopidae, Agefilaj, et ex parte Eumenis; in *Officiis Ciceronis* Libri III. cap. I - X. in *Cellarii* Hist. Vniu. Saec. XVII.

PRIVATIM in *Buchneri* Epistolis Part. II. Ep. LXXIII - LXXXIX, in *Iussino* Libb. X. et XI, in *Historia Hübneriana* Historiam Imperatorum Austriacorum; in *Geographia* Part. II, Geographiae Hagerianae.

M. IO. AVG. HARTZBACH, Coll. III.

PVBlice in classibus superioribus ex *Ouid.* *Metam.* L. XII. Fabulas quatuor priores enarrauit; in *Heumanni* *Conspect.* *Hist. Litt.* explicando ad
Cap.

Cap. IV. §. 33. peruenit. In *Torentii* Fabula, quae Andria infcribitur, ad Sc. IV. Act. III. progressus est, et ex *Starckii* Luce Ebraea Etymologiam absoluit. Classis autem III, et IV. discipulis ex *Hutteri* Comp. Locum de Inferno, Vita aeterna et Scriptura S. exposuit, in *Fabricii* Hist. sacr. ab hist. LXIV. usque ad LXXV. filium produxit. Penſa XXIV. elaborata emendauit. Ex *Koebere* dicta Graeca de Libero Arbitrio explicuit, et praecipis Grammaticis, cum etymologicis tum syntacticis illustrauit. Ex Poëtica regulas Langianas de quantitate Syllabarum infillauit, et ex tempore elaboranda penſa praescripfit.

PRIVATIM in Aretologia ab se consignata XX. *themata* absoluit, totidemque Imitationes suppeditauit. Ad illustrandam *Hofnanni* Compositionem Lat. linguae exempla historica distauit. Ex *Catonis* Distichis Librum I. ad finem perduxit. Ex Nouo Testamento Euangelia Dominicalia lectione cursoria continuauit, et initia Geographiae dilucidauit. Diebus etiam Veneris et Saturni Currendanis ex Enchiridio Dresdensi doctrinam de Deo Patre eiusque Filio explanauit, eosque ad initia Latinitatis et profodiae adduxit.

IO. FRIDR. DOLES, Cant. et Coll. IV.

In *Grammatica Langiana* progressus est a p. 49. usque ad 128. et à p. 159. usque ad 200. Ex *Colloquiis Langianae* Grammaticae subiuſtis explicauit Decurias I. II. III. IV. V. VI. Ex *Epistolis Cicer.* nouem interpretatus est, Mulicam uero tam theoretice quam practice cum suis excoluit.

GODOFR. GEBHARD, Coll. V.

per aestiuum hoc temporis spatium in lectionibus PVBLICIS ex *Catechismo* D Luth. minori articulum de Spiritu S. eumque, qui sequitur, de prece, tironibus suae fidei commissis explicuit. In *Grammatica* Lat. Syntacticam partem absoluit. Ex *Colloquiorum* autem Centuria quae eidem est adiecta Decuria septimae dimidium, totamque octauam explanauit.

PRIVATIM Etymologicam repetiit Grammatices partem, et Vestibulum Muzelii aperuit, in eodemque XXII. penſa absoluit. Doctrinam salutarem auditoribus suis ex b. Starckii Oeconomia salutis propinauit. Et, ut tirones suos ad studium et cupiditatem linguae Graecae addiscendae inuitaret, breuem aliquam, eamque neruosam sententiam Graecam singulis hebdomadibus in tabula descripsit legendam, pingendam, explicandam et memoriae

man-

mandandam. Ad Syntactica autem Latini sermonis precepta pueris tradenda, quaterna pensa singulis septimanis proponit, Latine et Germanice per tices conuertenda.

IO. GOTTFR. FRITSCHÉ, Coll. VI.

in *Grammatica Lat.* cum publice tum priuatim Etymologiam, et, quas pro puerorum captu necessarias duxit, Syntaxeos regulas explicari exemplisque illustrari, curauit. Nonnulla *Colloquia Langiana et Tirocinium paradigmaticum* ad declinandum et coniugandum abfoluit. Ex *Feindii Florilegio Germanico-Lat.* Sententiarum prouerbialium VI. Decurias, scil. à XCI. - XCVI. etymologice exposuit, uocabulis memoriae simul impressis. Ex *Comenii Vestibulo et Sententias et Vocabula memoriae propinauit.* Magnif. D. *Wiltschii Isagogen* cateheticam ad Biblia salutariter legenda inculcauit. *Catechismum Lutheri* examinauit, et *Psalms XXXII. XXXVI. LXII. LXXIII. et XCI.* praemissa breui explicatione, memoriter recitari curauit. Denique litteras adcurate pingendas suae curae commissos docuit.

IO. ABR. FRIEDHELM, Succent.

ex *Rhenii Donato* prima rudimenta auditoribus suis proponit, ut, fundamento posito, temporis progressu plura possint inaedificari. Eisdem in diligenti *Noui Testamenti* lectione exercet. *Psalms* Dauidicos, omnis generis praeceptis salutaribus refertos, recitari iubet. Porro *Hübneri Historias Biblicas* tironibus explicat, uersusque singulis historiis subnexos, et bonae frugis plenissimos, memoria complectendos repetit. *Lutheri Catechismum* autem summa cura exponit atque instillat. Praeterea *Currendanos* in *Musica*, uti dicitur, uocali exercet. Tandem

COLLABORATOR

aliquot horis singulas per dies prima litterarum elementa eos docet, qui infimis in subfelliis haerent: ex his tricis progressos in syllabis combinandis instituit, et ne ignorent, in schola Latina se uersari, uocabula Latina iniungit memoria tenenda.

Ex hac docendi ratione, quae in nostra litterarum officina obseruatur, adparet, illius magistros sedulo prouidere, ne inter *δεσφρα φθροσφρα* referantur. Quemadmodum autem et *Paullus* frustra plantat, et *Apollo* irrito successu irrigat, nisi benedictio diuina accedat: ita *DEVM* immortalem piis precibus imploramus, ut sua gratia subueniat, doctores autem *arboribus* similes euadant, ad *riuos aquarum plantatis*, quae *iuſto tempore fructus*

*fructus suos ferunt, et quarum folia non marcescunt, prospero semper euentu
votis respondente. 9)*

Quod autem discentes suam industriam cum docentibus coniungant, et
hucdum variis speciminibus declaratum fuit, et nouis identidem argumen-
tis confirmatur, Hoc consilio quinque ordinis primi commilitiones, quibus,
ut poeta canit (*Ouid, Trist. III, El. VII. 13.*)

*cum facie ingenua mores natura pudicos
et pulcras dotes ingeniumque dedit,*

a me petierunt, ut copiam ipsis facerem, finito examine, vires suas in pero-
rando periclitandi. Quod institutum quum a publica studiorum exploratio-
ne abhorreere haud videatur, ego precibus ipsorum deesse neque volui neque
potui. Materiam orationibus destinarent, et loco, et tempore, et personis
dignam, contemplaturi, *quantum ars naturam aemuletur?* Et primus quidem

CHRISTOPH. HENR. ZIESLER, *Hausdorf - Misp.*

Graecis verbis *naturae aemulam artem in iis, quae sunt supra nos, describet.*
Alter filum coeptum continuaturus,

IO. CHRISTIAN GRETSCHEL, *Dresd.*

oratione Gallica *hominum conatus perpetuos in aemulanda natura* exponet,
Tertio loco

IO. LEONHARD HEVBNER, *Schwarzenberg. Misp.*

sermone Hebraico *mirificum hominum studium in excogitandis nouis deli-*
neabit. Hunc excipiet

GOTTLIEB HENR. SIEBER, *Schwarzenberg.*

poëmate Elegiaco Latino *artem naturae aemulam in iis, quae sunt infra nos,*
decantaturus. Denique

EHRENFRIED HENR. IENTZSCH, *Schwarzenberg.*

stilo Romano de *naturae aemula arte in iis, quae circa nos versantur,*
disputabit.

Parum abest, FAVTORES atque PATRONI, quin verear, ne taedium
Vobis adferat inuitatio iterum atque iterum repetita. At enim vero ho-
nestis precibus iuuenum hoc dabitis, quod ego a Vobis me impetraturum
fere desperani. Quo igitur propensiores cras, hora ante meridiem nona, ad

eos auscultandos accedatis, eo maiori studio atque contentione Ve-
stram beneuolentiam prosequemur. P. P. *Freiberg.*

a. d. XXIV. Sept. A. R. G. MDCCL.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







31

ΔΕΝΔΡΑ
ΦΘΙΝΟΠΩΡΙΝΑ

ex Epist. Iud. v. 12.

STRICTIM EXPLICAT

ET

FINITO EXAMINE

AVCTVMNALI

ANNI MDCCL

CVM

RATIONEM LABORVM
SEMESTRIVM

TVM

ALIQVOT ORATIONES PVBLICE

HABENDAS INDICAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XXXI.

